UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiæ

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Prætermissa, quæ maturè nimis Typographus clausit, auctario hoc paruo cogimur propagare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38397

Visual Library

Prætermissa, quæ maturè nimis Typographus clausit, auctario hoc paruo cogimur propagare.

IN TRACTATV DE FAMILIA ANICIA.

Pag. 119.
lin. 16. in linea Rusticianæ] *adde*: Sancta Galla Anicia, marito primum tradita, cum intra vnius anni spatium morte eius uiduata fuisset, apud Ecclesiam S. Petri, sub sanctimonialis habitu, & regula Diui P. Benedicti degens, post multos in religionis proposito, & bonis operibus, consumptos annos, tandē sanctitate, & miraculis clara, migrauit ad Christum, die 6. Aprilis: cuius festiuitas plenius recolitur ab Ecclesia Romana, tertio nonas Octobris, de qua plura S. Gregorius Papa dialog. lib. 4. c. 13. & alij in martyrologio nostro notati.

LIBRO SECVNDO.

Pag. 239.
lin. 11. Episcopo] *adde*: Dom. Bruno Saxo, Henrici Aucupis Imperatoris filius, monachus, & Abbas cuiusdam monasterij in Germania (cuius tamen nomen non explicat Frodoardus Abbas in chronico, qui dignitatis tantum Abbatialis, & Episcopalis meminit, sic inquiens ad annum 947. vbi agit de concilio Virduni habito: *Præsente Brunone Abbate fratre Regis Otthonis.* Et ad annum 953. *Vuicfredus Colonienſis antistes defungitur, & Brnuo frater Regis Othonis in ibi Pontifex ordinatur: cui etiam Rex Otho regnum Lotharienſe committit*) deinde Archiepiscopus Colonienſis creatus; anno 953. in locum Vuicfredi, uir pius, & bonus, post duodecimum sui regiminis annum Compendij obijt, quinto Idus Octobris, anno 965. Corpus eius Coloniam a Deoderico Metensium Episcopo relatum ibidem sepultum est. Successit ei in Archiepiscopatu Foltmarus. *Idem Frodoardus Abbas de monachatu, & Archiepiscopatu, & alij omnes Germanici scriptores, de Archiepiscopatu tantum.*

Pag. 252.
lin. 18. anno 856.] *adde*: die 4. mensis Februarij.
Pag. 258, lin. 22. 41. & 47.] *adde*: 36. D. Artaldus, Gallus, monachus

monasterij S.Remigij Remensis,uir in negocijs secularibus secularibus exercitatissimus,Rodulpho Franciæ Rege agente,Remensis Archiepiscopus creatus,anno domini 931.Ecclesiam sibi creditam,licet magnis lacessitus iniurijs,per annos 31,strenue gubernauit,& demum anno 962.pridiè calendas Octobris,ex hac uita decessit; cuius res egregiè gestas fusè prosequitur Frodoardus Abbas Remensis in chronico a quo hæc accepimus.

Pag.277.

lin.11. Archiepiscopo] *adde*: 25. Dom. Ragembaldus, siue Raimboldus, ut legit Democharesde sacrif. mis. tomo 2. cap.17. ex monacho S. Vedasti Attrebatensis Ambianensis Episcopus 25 creatus anno 949. consecrationis munus Remis ab Artaldo Archiepiscopo suscepit, sed quantum ei sedi præfuerit nō proditur a Frodoardo Abbate,qui eius assumptionem ad Episcopatum tantū recitat in chronico,ad an.949.

Pag.296.

lin.30. Archiepiscopo] *adde*: 51. Dom.Vulfoldus, siue Vilphardus,Gallus,monachus, & Abbas monasterij Sancti Benedicti,quod est supra Ligerim(vt ego addo)creatus Episcopus Carnotensis 51. anno 962.præfuit annis undecim:Obijt autem anno 973. Frodoardus in chronico, de monachatu,& Democharesde sacrif.mis. tomo 2.c.18. de annis regiminis.

Pag.319.

lin. 27. anno 853.] *adde*: die quinto Calendas Aprilis.

Pag. 344.

lin.21. & alij] *adde*: Do.Oliba, siue Oliua,monachus,& Abbas monasterijs Sanctæ Mariæ Riuipollensis, & S. Michaelis confluentis, deinde Oxomensis (corruptè a quibusdam Ausonensis uocatus) Episcopus.Floruit sub annum 870.Obiitq; anno 885.succedente sibi Anatolo. Scripsit nonnulla, inter quæ uidi quoddam fragmentum excusum Francofurti, anno 1594. Epistolæ, in qua agit de pace inter Episcopum,& Vicecomitem Narbonensem,& alios.*Annales Aquitanici.*

Pag.356.

lin.14. alibi sæpius] *adde*: *Siluanectenses in Gallia, sub Archiepiscopo Remensi.* 30. D. Bernuinus,siue Herminius,Gallus, monachus Sancti Crispini Suessionensis, deinde Episcopus Siluanectensis 30.post aliquos in Episcopatu exactos annos

diem

diem clausit. Creatus est autem anno 937. & annotat Frodoardus in chron. sic inquiens: *Adelelus Siluanectensium præsul Obijt:* Et deinde subinfert: *Anno 937. Siluanectensium præsul ordinatur Bernuinus ex cœnobio S.Crispini.* Ex cuius auctoris uerbis redarguitur Democharis de sacrif. mis. tomo 2.c.17. qui inter hos duos, quendam Contbertum collocat, cum immediatè Adelelmo successerit Bernuinus.

Pag.365.

lin.23. anno Domini....] *adde.* 891.ut habet Trittemius in chronico Hirsaugiæ.

Pag.410.

lin.35. Patres] *adde.* Dom.Conradus Abbas composuit historiam Francorum ad usque 922.annum perductam, quo tempore eum uixisse opinor; cuius quoddam fragmentum excusum est Francofurti, anno 1594. in 8. cum duodecim scriptoribus coetaneis rerum Gallicarum.

Pag.418.

lin.4. 1565.in 12.] *adde.* Dom.Frodoardus, Gallus, monachus, & Abbas Remensis, scripsit Annales siue Chronicõ ętatis suę, ab anno 919.ad 966.quod excusum est Francofurti, in 4.anno 1594.cum 12. coetaneis scriptoribus. Obijt anno 969. quinto Cal. Aprilis.

Pag.422.

lin.3. uersu) *adde.* N.Guido Iuuenalis, Philosophus, ac Theologus Parisiensis, monachus Cluniacensis, uir in diuinis scripturis eruditus, & in disciplina secularium litterarum ualde instructus, qui floruit, anno 1490.& quod excurrit, inter alia, quæ scripsit, elegantissimum opus, De reformatione Claustralium, edidit.

Pag.428.

lin.10. lib.1.) *adde.* F.Hunibaldus, Gallus, monachus, ut putatur, ordinis Sancti Benedicti, floruit enim tempore S.Mauri Abbatis in Gallia, scripsit.

Historiarum ab orbe condito. Lib.18.

Hi utrum excusi sint nescio, ex ijs autem multa desumpserũt Vincentius Beluacensis, Trittemius noster, Antonius Democharis, & alij tam ueteres, quam neotorici, ubi de Regibus Franciæ tractant.

Pag.439. lin.35.Iunij) *adde.* F. Monachus quidam S. Eparchij Engolis-

goliſmenſis in Gallia, ſcripſit Annales Francorum plebeio, & ruſticano ſermone, uſque ad annum 814. perductos; ex quibus deſumpta eſt uita Caroli Magni Imp. quæ excuſa eſt Francofurti in 4. anno 1594. cum 12. ſcriptoribus coetaneis.

Pag. 444.

lin. 4. in Gallia) *adde.* F. Odorannus, monachus S. Petri uiui Senonenſis iam ſexagenarius, anno 1045. collegit Chronicon rerum in orbe geſtarum: cuius fragmentum eſt excuſum cũ 12. ſcriptoribus coetaneis, Francofurti, anno 1594. in 8.

Pag. 452.

lin. 13. lib. 1.) *adde.* Dom. Petrus de Stoſſen, Germanus, monachus, & Abbas monaſterij Bozauuienſis, ord. S. Ben. cong. Bursfeldenſis, creatus anno 1494. uir pius, & eruditus, ſcripſit inter multa pro inuentione feſtorum mobilium.

Ephemerides ualde utiles. Lib. 1.
De Muſica. Lib. 1.
De Arithmetica. Lib. 1.

Et alia nonnulla, quorum tituli ad meam notitiam non peruenerunt.

Pag. 453.

lin. 20. 1588. in 4.) *adde.* Dom. Placidus Romanus, monachus, monaſterij S. Benedicti Caſini, cong. eiuſdem, alias S. Iuſtinę de Padua, uir in humanioribus litteris exercitatus, & hiſtoriarũ cognitione dines, qui obijt, anno 1589. ſcripſit.

Hiſtoriam ſacri monaſterii Caſinenſis, a prima fundatione, uſque ad annum 1587. tomis duobus, qui reſeruatur Caſini MSS.

Appendicem ad librum de uiris illuſt. ſcript. montis Caſini, Petri Diaconi: hæc eſt apud me MS.

Et alia nonnulla præcipuè pro inſtructione Archiuiorum monaſterii ſui.

LIBRO TERTIO.

Pag. 30.

lin. 35. Pontifices) *adde.* Virduni in Gallia, monaſterio S. Michaelis, Natalis Sancti Malcallini Abbatis, ſanctitate clari, cuius corpus ibidem requieſcit.

Pag. 31.

lin. 10. arboris) *adde.* Malcallini.] *Eius uita breuibus, felixque ad Deũ tranſitus hac die, recitatur in appendice ad Chronicon Frodoardi Abba-*

Abbatis, huiusmodi uerbis. Anno 978. Virduni, uir domini Malcallinus, natione Hibernicus, in uigilia Sancti Vincentii Leuitæ, & martyris, uitam transitoriam, quam habebat exosam, deseruit, & cum Domino, uiuere feliciter inchoauit. Qui præfatus Abbas in corpore humatus quiescit in ecclesia beati Michaelis Archangeli, cuius Abbatiam dum corporaliter in hoc seculo maneret, pro moderamine rexit.

pag. 40.

lin. 23. uiri] *adde*, Moguntiæ, Sancti Rabani Archiepiscopi, & Ecclesiæ Doctoris, qui post uitam in compositione librorum, & prædicationibus exactam, sanctitate clarus migrauit ad Christum.

pag. 42.

lin. 15. affirmat] *adde*: Rabani] *Cuius depositio in annalibus cuiusdam incerti auctoris excusis Francofurti in 8. anno 1594. cum xij. scriptoribus coetaneis, hac die notatur, his uerbis.* DCCCLVI. Mense Februario, quarto die mensis, defunctus est Hrabanus Archiepiscopus Mogontiacensis Ecclesiæ habens in Episcopatu annos 9. menses 1. & dies 4. cui successit Karlus, magis ex uoluntate Regis, & consiliariorum eius, quã ex consensu, & electione cleri, & populi. *Hæc ibi. Reliqua de eodem uideto lib. 2. cap. 27. in Archiep. Moguntinis. & lib. 5. cap. 71. ubi de eius operibus: & cap. 85. ad Trittemium, ubi de eius sanctitate, vita, & translatione.*

Pag. 119.

lin. 24. in pace] *adde*: In monasterio Chellensi iuxta Parisium, translatio sanctæ Batildis, Sanctimonialis, quondam Reginæ, quæ facta est anno Domini 822.

Pag. 120.

lin. 11. prædicatur] *adde*: Translatio sanctæ Batildis) *Notatur hæc a Renato Benedicto, qui eiusdem historiam ex MSS. Chellensis monasterij adfert, hac die: Facta autem fertur iussu Ludouici Pij Imp. anno sui regni octauo, qui erat itidem octauus regiminis S. Hegiluitæ Abbatissæ Chellensis, quæ eandem translationem perfecit. Translata est, & cum ipsa S. Radegondis puella, eiusdem Batildæ filia, quæ anno ætatis septimo obierat.*

lin. 19. Monachorum] *adde*: Halberstati in Germania depositio Beati Haymonis Episcopi, doctrina, & pietate clari.

Pag. 121.

lin. 30. Maii) *adde.* Haymonis] *Notatur eius natalis hac die, in annal. incerti auctoris excus. Francofurti 1594. his uerbis:* Hemmo (pro *Haymo*) Haberensis *(loco Halberstatensis)* Episcopus, 5. Calend. Aprilis defunctus est, in cuius locum Hildigim Episcopus est ordinatus. *Hæc ibi ad annum 853. Plura de eodem require, lib. 2. c. 44. & lib. 5. c. 69.*

Pag. 333.

lin. 23. clare) *adde.* Papiæ in monasterio S. Mariæ, quod ad Cacias dicitur, festiuitas Sanctæ Epiphaniæ Virginis, S. Rachisii Regis Lõgobardorum filiæ, quæ post multos in religionis proposito ieiuniis, & orationibus, ac lachrymarum profusione, quibus maxime abundabat, exactos annos, hac die gloriosa risum illum in cælesti patria meruit, qui flentibus in hoc seculo a Christo repromittitur.

lin. 36. ignoro) *adde:* Epiphaniæ] Stephanus Breuentanus in historia Papiæ, lib. 3. c. 23. huius natalem annotat, hac die. Eius uero uitam, & monachalis uitæ propositum, breuiter recenset Iacobus Gualla in Sanctuario Papiæ, lib. 5. c. 23. & 24. De eadem latius egimus, lib. 4. cap. 28. ad quem lectorem remittimus, in adiunctis.

Pag. 336.

lin. 27. hac die) *deleantur sequentia ista uerba, (*Cætera me latent*) & addatur) Eius meminit Renatus Benedictus in uita S. Bertilia Abbatissæ primæ Chellensis, quæ illuc a S. Telechilda, sic petente S. Batilda Regina, directa fuerat, una cum plurimis aliis sanctimonialibus. Floruit anno Domini 650. & quod excurrit.*

Pag. 357.

lin. 8. Monasterium) *adde.* Eodem die Fuldæ translatio Sancti Bonifacij Archiepiscopi, & Martyris.

Pag. 358.

lin. 23. Abbate) *adde.* Transl. S. Bonifacij) *Notatur hæc hac die in annalibus incerti auctoris Francofurti excusis anno 1594. hoc modo ad annum 819.* Hoc anno Basilica S. Bonifacii martyris in cœnobio Fuldensi, ab Hestulpho Archiepiscopo dedicata est in honorem Domini Saluatoris, & omnium Sanctorum eius: translataque sunt ossa Sancti martyris Calendis Nouembris. *Hac autem ratione, scilicet quod Ecclesia Fuldensis consecrata sit in honore omnium Sanctorum, pulchrum illum ser-*

monem

monem de eisdem, qui ab Ecclesia Vniuersali in eorundem festiuitate legitur, a S. Rabano Mauro Archiepiscopo, & Monacho factum existimo.

Pag. 370. lin. 5. sanctitatis) *adde*: In Vasconia, passio S. Abbonis Abbatis, qui a quodã satellite lãcea in læuo latere percussus, cum a fratre Guilelmo ad monasterium suum relatus fuisset, inter suorum manus expirauit.

Pag. 371. lin. 15. Septẽb.) *adde*. Abbonis Abbatis) *In lib. duodecim coetaneorum scriptorum Francofurti excuso 1594. in 8. quorum ultimus est ipse Abbo Abbas de obsidione Vrbis Parisiensis a Normannis, quædam præludia, siue testimonia præponuntur, in quibus passio eius accidisse dicitur, anno 1003. die 13. Nouẽbris, qui erat S. Brictio festus, feria 2. Et primum quidem testimonium, quod est in eius uita, excerpta ex veteri membrana monasterii Regulæ ordinis Sancti Benedicti ad Garumnam, sic habet.* Secunda ria qua S. Brictii agebatur festiuitas, &c. *quæ sequuntur usq; ad eius mortem. Alterum quod est Olibæ Episcopi sic,* Abbo, inquit, Vuasconum gladiis, coronam martyrii meruit, Idibus Nouembris, die Natalis S. Briccii. *Quare autem hac die potius, quam 13. eius solennitas agatur aperit auctor eius uitæ hac periodo:* Mane feriæ quartæ, Abbo cum ipsis, quibus indutus erat uestimentis, ut mos est interemptos sepeliri, inlotus lapideo sarcophago in interiora crypta, ante ipsius S. Patris Benedicti altare tumulatur. Celebratur a Monachis in eius honorem 15. dies mensis Nouembris. *Hæc ibi. Fuit autem Abbo natione Gallus Aurelianensis, patre Læto, matre Ermengardi, deinde monachus S. Benedicti Floriacensis, sub Vuilfaldo Abbate, postmodum etiam eiusdem cœnobii Abbas: ex quo anno 15. sui regiminis euocatus, ut Vascones in fide instrueret, in monasterio antiquitus Squiros, nunc uero Reula, litteris contrariis, dicto, aliquot annis egit, in quo tandem etiam martirii coronam percepit. Agit de eodem Sigebertus in chronico ad annum 1003. & de script. eccles. c. 140. & alii ad eunedm Albonẽ, siue Abbonem in libro quinto nostro, c. 42. notati. Vitam eius composuit Haymo monachus Floriacensis, quæ extare quidem dicitur, sed illam necdum uidi. Scripsit ultra illa, quæ notantur eodem c. 42. & fol. 906. in prætermissis.*

De obsidione Parisiensi, uersibus, lib 1. qui nunc primum excusus est Francofurti, anno 1594. in 8. cum 12. coetaneis scriptoribus.

Epi-

Epistolarum ad Gregoriũ V. Papam, Rubertũ Regẽ Francorum; Constantinum Miciacensem Decanũ: Robertum, & Odilonem Abbates, & alios, lib. 1. qui reseruatur MS. in monasterio suo.

Apologeticum, ad Hugonem, & Robertum Reges, dum adhuc esset Abbas Floriacensis, lib. 1. qui est Floriaci MS.

Pag. 409.
lin. 34. c. 55.) *adde.* S. Aldus monachus Bobiensis, & Eremita, cuius reliquiæ iacent in sacello Diui Columbani Papiæ, de quo meminit *Iacobus Gualla in Sanctuario Papiæ lib. 6. c. 8.*

Pag. 415.
lin. 14. Pet. c. 36.) *adde.* S. Folipertus Abbas, magnæ & admirãdæ sanctitatis, cuius sacrum corpus in oratorio sacratum religiosarum monasterii Annunciatæ Papiæ est reconditum, ut refert *Iacobus Gualla in Sanctuario Papiæ lib. 6. c. 8.*

LIBRO QVARTO.

Pag. 488. lin. 34. 843.) *adde.* uel 844. vt alii habent, die 7. Idus Iunii.

Pag. 489. lin. 2. sequatur) *adde. Theodoricus Caroli Magni Imp. filius, Nothus.* Theodoricus, siue Theodorerus, Caroli Magni Imp. ex Adelinda pellice tertia filius, Dux Prouinciæ a Patre creatus, cum in caput fratris sui Ludouici Pii Imperatoris cõiurasset, ab eodem ducatu priuatus, & monasterio inclusus, ac tonsuratus, ibidẽ uitam finiit, ut auctor est Theganus Chorepiscopus Treuirensis de gestis Ludouici Pii Imp. c. 24. sic inquiens: *Eodẽ tpe iussit,* (Ludouicus Imp. uidelicet) *Fratres suos tonsurari, Drugonem, Hugonẽ, et Theodoricum, ad discordiã mitigandã, & liberalibus disciplinis, iussit instrui, quos postmodũ honorificè constituit, Drugoni episcopatum dedit, & Hugoni canobialia monasteria.*

lin. 29. secundi) *adde. Bruno, Henrici Aucupis Imp. filius.*

Bruno, Hẽrici Aucupis Imp. ex Machilda uxore filius, monasticis disciplinis ab ipsa infantia eruditus, in quodã Germaniæ monasterio (qđ suspicarer fuisse S. Viti Corbeiæ) ubi & postmodũ Abbas effectus est, a fratre suo Ottone I. Imp. deinde Colonien si Archiepiscopatu donatus an. 953. cũ tertiumdecimũ regiminis sui annũ attigisset, 5. Idus Octob. an. 965. Compendii obiit, & Coloniã relatus, apud monasteriũ SS. Pantaleonis Cosmæ, & Damiani, quod ipse reædificari iusserat, sepulturæ locũ accepit. *Frotlandus Abbas in chron. ad annũ 947. de monachatu; reliqui scriptores de dignitate.*

Pag.

Pag. 472.

Quæ corruptè 456. legitur, linea 26. reponantur) *adde*: Auctores Genealogiarum Saxonicarum Bathildam, Beringeri, primi Herciniæ Regis, filiam agnoscunt, id tamen pernegat Belforestius in magnis annal. Franciæ libro primo, cap. 36. qui eam aliunde, quam ex Saxonia, oriundam probat. Auctor item uitæ eius quæ est apud Renatum Benedictum, in uitis SS. Galliæ, licet ex nobili Regum Saxoniæ stemmate originis lineam traxisse asserat, patrem eius tamen, non Beringerum, sed Floridam, Coloniæ Agrippinæ Regem, appellat. Nos Beringerum, cum aliis omnibus historicis, retinuimus, tum quod Belforestius cuius fuerit filia non dicat; tum etiam quod quæ adferuntur de patre Florida Coloniæ Rege, fabulosa potius uideantur, quam uera.

Pag. 492.

lin. vltima, & alij) *adde. Rothildis, Caroli Calui Imp. filia.*

Rothildis Caroli Calui Imperatoris, ex Hermentrude uxore prima, filia, & Ruperti II. Andegauiæ Comitis, uxor secunda, uiro mortuo sanctimonialis facta est, deinde Abbatissa, in quodam Galliæ Cœnobio, quod ab eius nomine Abbatia Rothildis a nonnullis appellatur, in quo tandem carnis depositio onere, quieuit. *Frodoardus Abbas in chron. ad annum 922. de genere, & Abbatiali dignitate, & Belforestius in magnis annal. Franciæ libro secundo, capit. 73. de genere tantum.*

Pag. 511.

lin. 21. & alii) *adde. Quinque filij Clodouei II. Franciæ Regis.*

In uita S. Batildis Reginæ, & Sanctimonialis, quæ est apud Renatum Benedictum in uitis SS. Galliæ, excerpta ex MSS. & antiquis legendariis monasterii Chellensis, nondum excusis, quædam narrantur de filiis Clodouei II. Regis ex Barilda Regina (quos quinq; fuisse refert Belforestius) qui ob rebellionē quandā in Patrem suum Clodoueū, consilio Batildis matris, omnibus suis mēbris mutilati, (ut hoc modo spiritus eorum saluus fieret, discerentque iustitiam puniti) & nauj impositi, sine remige, & gubernatore per Sequanam, abire iussi sunt, eo consilio, ut ubicunque nauis ipsa appelleret, illic monasterium, ubi monasticis disciplinis instrui possent, ad Dei honorem construerent. Sic igitur dimissi ad quen-

quendam ſolitarium locum, Dei uoluntate, in Normandia deuenerunt, Gemeticum dictum, ubi inuento paruo monaſteriolo in honorem S. Petri conſecrato, ſub cura S. Philiberti Abbatis, qui illud temporis regebat, monachari inſtituunt. Quod cum Clodoueus Rex, & Bathildis Regina intellexiſſent, protinus ad Dei hominem properarunt, & de facultatibus ſuis loco ditato, & in auguſtiorem modum exædificato nouo monaſterio, filios ſuos iam uoluntariè Monachos effectos, uiro Dei obnixè commendantes, ad propria reuerſi ſunt. Illi uero in religionis propoſito ad finem uſque perſeuerantes, patientiæ ſuæ poſtmodum mercedem a Deo accipere meruerunt. Ab huiuſmodi autem euentu, in hodiernum diem, Abbatia illa, S. Petri eneruatorum appellata eſt. *Narrat & horum monachatum Franciſcus Belforeſtius in magnis annal. Franc. lib. 1. cap. 36. licet narrationi, quam fabuloſam reputat, fidem non adhibeat; tum quod a nemine alio ſimile quid prodatur; tum etiam quod apud Francos genealogiſtas nõ legantur alij Clodouei II. filij, quam Clotharius, Childericus, & Theodoricus. Factum diximus, lector quod uoluerit teneat.*

Pag. 522.

lin. 15. mutuati) *adde. S. Epiphania, Rachiſii Longobardorũ Regis, filia:* S. Epiphania, Rachiſii Longobardorum in Italia Regis, filia, nobilis ſanguine, ſed nobilior ſanctitate, contemptis parentibus, & regno poſthabito, arctum monaſterium S. Mariæ, qđ ad Cacias uocatur, Papiæ ingreſſa, anno Dñi 750. in paupertatis, obedientiæ, ac caſtitatis propoſito aliiſque uirtutibus, quæ Sanctarum Virginum ſunt propriæ, uſque ad uitæ conſummationem perſeuerãs, magnam de ſe admirationem omnibus exhibuit; erat enim mente ſancta, fide pura, charitate perfecta; corpore, & mente uirgo, ieiuniis inſiſtens, orationibus uacans, lachrymarum profuſione aſſidua, cilicio tecta; quibus uirtutibus cœleſtis regni gloriam, & beatitudinem ſempiternã promeruit pridie nonas Octobris, & in monaſterio ſuo ſepulta eſt, uſque in hodiernum miraculis clarens. *Stephanus Breuentanus in hiſt. Papiæ lib. 3. c. 23. & Iacobus Gualla in Sanctuario Papiæ lib. 5. c. 23. & 24.*

LIBRO QVINTO.

Pag. 828.

linea 18. uelimus) *adde.* Huiuſmodi autem litterarum ualorem, quibus

quibus Romani Prisci utebantur antequam notas Arithmeticas haberent, reperi postmodum, opere iam ad finem perducto, in libro 6. de origine, & amplitudine Ciuitatis Veronæ Torelli Saraynæ legum Doctoris, qui in omnibus cum prædictis numeris nostris concordat, litteris tantum quinque exceptis, quibus alium a nostro ualorem tribuit, uidelicet:

K——————151.
N Secundum Græcos—50. Secundum Latinos--90.
P——————7.
S——————70—vel 7.
Y——————159.

Pag. 873.
lin. 34. Burgundiæ) *adde*. Horum autem duorum RR.PP. sententiam confirmat multorum nobilium Gallorum consensus, qui unanimi assertione asseuerant eundem Genebrardum monachum Ordinis Diui Benedicti, professum in monasterio dicto Mausac, non longè a Rhegio, Gallicè Rione, oppido Aruerniæ. Et ut sit dictis meis fides uerba cuiusdam nobilis Galli ad me transmissa hic subiunxi, ut omnis tollatur dubietatis occasio sic enim inquit. *Monsignore Genebrardo è monaco di S. Benedetto, professo in uno monasterio, nominato Mausac, appreßo Rione in Aluernia.*

TOTIVS OPERIS FINIS.